

7

DISSERTATIO GRADUALIS,  
QUÆSTIONEM:  
AN MONS SEVO IN SCANDI-  
NAVIA QUÆRENDUS SIT,  
EXHIBENS,

---

QUAM,

CONSENSU AMPL. FAC. PHILOS. IN  
REG. ACAD. ABOËNSI,

PRÆSIDE

MAG. *GABRIELE TIDGREN,*

LINGUAR. ORIENT. ET GR. PROF. REG. ET ORD.

PUBLICÆ DISQUISITIONI COMMITTIT

*FREDERICUS EHRENMALM,*

NOBILIS,

IN *AUDITORIO MAJORI,*

DIE X JUNII ANNI MDCCLXXXVI,

HORIS ANTE MERIDIEM SOLITIS.

---

*ABOÆ,* TYPIS FRENCKELLIANIS.



diceret, idem se obtulit. **RUDBECKIUS** (c) *Sevonem* in *Westrogothia* ad latit. 57 & longit. 35 gr. a meridie *Albis Gothici* initium capere docet. **V. DALIN** (d), **TUNELD** (e), **BERGMAN** (f) & **FISCHERSTRÖM** (g) illum ex mari occidentali ad ejusdem fluvii ostium e regione promontorii Cimbrici, vulgo *Skagen* appellati, se tollere & propter *Gotheburgum* primum jugum, quod caput *Germaniæ* (*Germans-hufvud*), quasi indidem incipientis, vocare **v. Dalino** & **Tuneldio** complacuit; efferre, hincque per *Bahusiam*, *Wermelandiam*, *Dalecarliam* & amplius aquilonem orientemque versus, *Sveciam* a *Norvegia* discriminantem, in longitudinem 350 milliarium *Svethicorum*, lunato & perenni dorso procurrere perhibent. Qui tam exacte situm montis a *Plinio* subobscurè descriptum definire, & quem is sinum maris *Scandinaviam* ambientem efficere ait, in hac ipsa tam fidenter collocare possunt, si ab iis sciscitamur; respondent parociam fluviumque *Sæfve* & territorium *Sæfvedalense* circa *Gotheburgum* inveniri, *Ingavones* autem esse vel, ex sententia **STIERNHJELMII** (h), **RUDBECKII** (i), **BIOERNERI** (k) & **WILDII** (l), regiam *Ynglingorum* pro-

---

(c) *Atlant.* T. I. p. 485 seqq. (d) *Sv. R. Hist.* T. I. p. 10-12. (e) *Geogr. Sv.* p. edit. 5. 369. (f) *Phys. Befkrifn. öfver Jord Klotet*, T. I. p. 274. (g) *Econom. Diction.* T. I. p. 431. (h) In *Anti-Cluverio* p. 146. (i) *L. C.* p. 483. (k) *Sv. R. Håvda-Ålder* p. 9, 52. (l) In *Præp. hodog.* §. 64, 96.

profapiam, vel, ut vult v. DALIN (*m*), *Angermannos*. Quam parum firmamenti his infit rationibus, unicuique partium studio non prorsus occæcato facile quidem patere arbitramur; cum tamen communis fere & inveterata hodie sit, de qua agitur, sententia, quantum summa temporis, qua premimur, angustia permittit, studio eandem excutere non ab re esse iudicavimus.

§. II.

Germanorum quinque in universum esse genera, & in his *Ingævones*, eorum autem partes *Cimbros*, *Teutonos* & *Chaucos* ait PLINIUS (*a*). *Chaucos* & *Teutonos* ne in *Olai* quidem *Magni Charta Gothica* notatos, *Sveciam* tamen habitasse vel inde effiei opinatur RUDBECKIUS (*b*), quod varia in ea occurrant loca a *Kau* & *Tjud* nuncupata. At si hæc argumentandi ratio valeret, Græcis quoque & Romanis origo Scandica foret tribuenda; neque enim apud nos desunt nomina locorum a *Rom* & *Gre* incipientia. *Tjårbo* parœcia dicitur *Hollandiæ*, & *Tjarrabo* pars orientalis *Insulæ Otahejtæ*, in medio maris pacifici sitæ, cujus incolas e *Svecia* repetere, nemo tamen ex hac nominum congruentia, putamus, sustinebit. *Chaucos* confines fuisse *Frisiis*, qui *Rheno* ad oceanum

A 2

---

(*m*) L. c. p. 60. seq.

(*a*) L. c. C. 14. (*b*) L. c. p. 493 & 585.

num prætendebantur, testatur TACITUS (c), & ex PTOLEMÆO (d) liquet, eosdem inter Amisiam Albimque utramque Visurgis ripam secundum mare tenuisse. *Cimbri* eundem ingentem Germaniæ finem, in quo ab austro erant Chanci &, qui ad Visurgim usque pertingebant (e), Cherusci, inhabitasse TACITO dicuntur (f), & PTOLEMÆUS (g) diserte docet, eos septentrionalem extremitatem peninsulæ supra Albim Saxonumque terram excurrentis, quam ideo Chersonesum Cimbricam vocat, coluisse.

### §. III.

Intercedit vero heic Nobiliss. LAGERBRING (a), quod Ptolemæus circa situm locorum populorumque præcipue remotiorum, sæpe fallatur, illum Cimbrorum in Iulia reponentem non audiendum esse monens. Suscepta sc. sententia, gentem hanc in Scandia sedem habuisse, necesse erat Viro, cetera ut perspicacissimo, ita æquissimo, Alexandrini Geographi auctoritatem sibi refragantem elevare. Quotusquisque autem Scriptorum humanorum, etjam recentiorum, fidem mereri censetur, si ea dignus habendus sit nemo, nisi omnibus idem vitii fuerit incontaminatus? Ptolemæi Geogra-

---

(c) De Germ. C. 34, 35. (d) Geogr. L. II. C. II. & Tab. Europæ IV. (e) DION CASSIUS L. 54 & 56. (f) L. C. c. 37. (g) L. c.

(a) In Dissert. de præcis sedibus Cimbrorum. §. 4.

graphia, tempore, quo omnes scientiæ, quæ in ære experientiæ sunt, curatarumque naturæ observationum subsidiis nituntur, parum excultæ erant, conscripta, & tot distantiarum locorumque nondum satis exploratorum mensuras exhibens, sine miraculo certe ab erroribus non esset immunis. Nihil tamen erit caussæ, cur ejus indicia, quæ nec experientiæ aut rationi, nec locupletiorum auctorum testimoniis adversantur, repudiemus; præsertim cum constet, maximam, quam priscus vidit orbis, Bibliothecam, Alexandrinam nimirum, ejus studiis patuisse, eumque adeo scire potuisse plurima, quæ alios fugerunt. Unus ex omnibus Veterum, qui ætatem tulerunt, STRABO erit, cujus de Cimbris effatum Ptolemæo obnuntiare videri poterit; eos enim cis Albim amnem statuit (b). At si utrique de diverso tempore, vel Straboni de Cimbris mediterraneis, quos commemorat & a proprie sic dictis secernit PLINIUS (c), fermo fuerit, hæc pugnæ species evanescit, nec Strabo erroris, cujus illum accusat CLUVERIUS (d), reus est. Ceterum MARCIANUS *Heracleota* (e) & AGATHEMERUS (f) cum Ptolemæo de Cimbrorum patria consentiunt (g).

---

(b) *Rer. Geogr. L. VII. p. 291.* (c) *L. c.* (d) *Germ. Ant. L. III. C. 22.* (e) *In Periplo p. 52.* (f) *L. C. 4. Geogr.* (g) *Perperam igitur inter prisca Sveciæ nomina, etiam in texta editione Geographiæ Tuneldianæ, Chersonesus Cimbrica refertur.*

§. IV.

Testimonia historica hac in re hodieque confirmat ipsa natura. Cum enim violentam oceani inundationem causam olim fuisse Cimbris solum vertendi & novas sedes sibi quaerendi FLORUS (a) & STRABO (b) prodant; ingentia illa brevia, vulgo *Fydske Riv* appellata, quæ in latitudinem viginti amplius milliarium porrecta, occidentali Jutiæ oræ objacent, indeque in arctum coacta & nomine *Kimmen* insignita, continui instar jugi ultra Scotiam ad scopulum usque infamem *Rokoll*, jam 150 milliarium spatio a proxima terra distantem (c), procurrunt, olim silvis obsita fuisse inde colligere licebit, quod stipites & radices arborum, plerumque in lapideam materiem collata, ex fundo eorum et jam nunc ancorariis & retibus extrahi soleant (d). Contra vero ea Cimbro Scandiam incoluisse, nemo, quod constet, ex omni antiquitate umquam dixit. Nec si *Morimarusa* nomen, quo oceanum septentrionalem eos designasse apud Plinium narrat *Philemon*, Fennicum sit, quod tamen linguæ hujus gnaro vix ac ne vix quidem persuadebit LAGERBRING (e), hinc sequitur eosdem Fennice locutos fuisse; usu enim venire solet, ut extranei locorum nomina ab incolis eorum mutantur.

§. V.

---

(a) Rer. Rom. L. III. C. 3. (b) L. c. p. 292. (c) FKEBERGS Ostind. Resa p. 26. (d) ANCHERSENII Vallis Herthæ Deæ & Orig. Dan. p. 233. (e) Qui in Sv. R. Hist. T. I. p. 569 seq. hanc tuetur opinionem.

§. V.

Ad *Teutonos* quod attinet, eos POMPONIUS MELLA (a) tenuisse ait maximam & fecundissimam septem insularum contra Germaniam in sinu Codano projectarum, quam vocat Codanoniam, quod vocabulum IS. VOSSIUS (b) sine idoneis rationibus & contra omnium codicum fidem (c) in Scandinaviam mutatum voluit. CLOVERIUS (d) Codanoniam putat esse Seelandiam, eique calculum suum adjicit EGGELING (e), lepide conjiciens istud nomen a vocibus *Ko* & *Danske* conflatum, insulæ huic ideo fuisse inditum, quod vaccis olim abundarit & a Danis possessa fuerit. Ut autem facile concedamus, Seelandiam hodie quoque non vaccis solum sed & bobus affluere, omni tamen caret probabilitate eandem esse Codanoniam; quippe cujus sessores Teutonos inter Chaucos & Cimbro, h. e. ut supra effecimus, inter Bremam & Jutiam incolentes, statuit PLINIUS (f); unde hoc verisimilius evadit, ita *Melæ* nuncupatam fuisse Chersonesum Cimbricam, quod sinum Codanum supra ostium Albis collocet, peninsulæ alicujus isti fluvio oppositæ, quam ignotam ipsi fuisse credibile non est, nullam faciens mentionem; nec solum CÆ-

SAR

(a) De Situ Orbis L. III. C. 6. (b) In Notis ad I. *Melæ* c. (c) Cfr. GRAMM Præf. ad *Molleri* Cimbr. litterat. p. 34 & WILDE I. c. §. 96. (d) L. c. L. III. C. 40. (e) In Miscell. Germ. ant. exercit. II. p. II. (f) L. c.

❧      )      §      (      ❧

SAR (g), VELLEJUS PATERCULUS (h), FLORUS (i)  
& EUTROPIUS (k), verum ipse etiam MELA (l) Cim-  
bros & Teutonos ut populos finitimos conjungant (m).

§. VI.

Cum igitur nullam probabilitatis speciem præ se ferat, sed testimoniis Veterum quoque repugnet, Chau-  
cis, Teutonis & Cimbris, in quas tribus divisi erant  
Ingævones, peninsulam nostram patriam fuisse, &  
PLINIUS diserte etiam fateatur, incolarum ejusdem  
non alios nisi solos Hilleviones sibi innotuisse; nec In-  
gævones Scandianis accenseri posse liquet: unde ne-  
cessaria consecutione conficitur, *Sevonem* montem, istis  
populis adhabitatum, in his terris non inveniri. Nec  
australes Sveciæ Norvegiæque provincias aliquod  
montis jugum, ut vulgo existimatur, disternat; sed  
rivos, stagna, paludes, passimque monticulos & col-  
les, dum jugum Rutense (Rutefjäll) Herjedaliæ tan-  
dem contingit, sequitur limes (a). Ceterum Scandi-  
na-

---

(g) De Bello Gall. L. I. C. 33. (h) Hist. Rom. L. III. C. 12. (i) L. c. (k) Hist. Rom. L. V. C. I. (l) Lib. c. C. 3. (m) In Ditmarsia & Ducatu Meckelburgen-  
si plura quoque sunt loca, quæ etjamnum a Teutonis  
accepta gerunt nomina. V. WESTPHALEN Monum. ined.  
rer. Germ. T. I. p. 1456.

(a) V. Tractatus de Limitib. inter. Reges Sv. & Dan.  
Annor. 1661 & 1751, & Acta, Acad. Scient. Holm. A.  
1771. p. 96. seqq.





navia nonnisi duas habet eminentias protentiores, nimirum dorsum illud terræ (*Landtryggen*), quod a palude Fredricsdalensi provinciæ Junecopenfis initium capit, & *Montes Norvegici*, ad tertium circiter milliare supra Lindesnesiam, promontorium Norvegiæ meridionale, exsurgentes (*b*). Illud molliter devexum & quod ne clivum quidem ubique conspiciuum inque oculos incurrentem efficit; immensi montis nomine usurpari non potuisse apparet. Nec jugum Norvegicum esse potest Sevo Mons, quamquam ita affirmant, præter Nostrates, **CLUVERIUS** (*c*), **HARDUINUS** (*d*), **CELLARIUS** (*e*), **BÜSCHING** (*f*) ac **SCHLOEZER** (*g*), & quamvis in Mappis Geographicis **WITTI** & **LOTTERI** hanc quoque gerat epigraphen; eorum enim, quæ de hoc ait *Plinius*, nihil nisi sola magnitudo in illud quadrat; quod vero in promontorio Skagensi non desinit, nec adeo finum maris, in quo jacet Scandinavia, concludit, ut in eo contra sit, nec umquam Ingævones habuisse accolos constat. Infirmo illi & ancipiti argumento, quod similis vocabulorum sonus suppeditat, ne heic quidem locus datur (*h*); nam plurimorum nominum, quibus diversi

B

hu-

---

(*b*) Vid. Acta modo cit. p. 5. & II. (*c*) L. c. C. 37 & 41. (*d*) In Annot. ad l. c. *Plinii*. (*e*) Geogr. Ant. T. I. p. 391, 392. (*f*) Erdbeschr. T. I. p. 305. (*g*) Allg. Nord. Geschichte p. 115. (*h*) Tradit quidem **GEBHARDI** in Hist. Dan. & Norv. T. I. p. 36, montem hunc hodieque a Norvegis Sevonem appellari; veriora autem

hujus montis tractus & apices notantur, & e quibus centum circiter a MARELIO in Actis Academiae Scientiarum Holmiensis (i) recensentur, nullum plane est, cui cum Sevone quantulacumque sit similitudo. *Sesfurd*, STURLONIDE narrante (k), non fuit nomen asperrimi montis, ut ait RUDBECKIUS (l), sed struis lapideae quam perviani reddendam curavit Rex Norvegiae Olavus Haraldi.

§. VII.

Ferme parati sumus dejerare, Plinii scribentis imaginationi obversatum fuisse tractum montanum ab Amisiae vicinia, vel forte a monte illo, qui non procul inde distans propter Rheni ripam ex adverso Bonae jacet, & a septenario verticum numero vulgo dicitur *Sieben-* vel *Seven-gebirge* (a), quod Romano idiomate verti potuit *Sevo Mons* (b), ad Cimbrorum promontorium excurrentem. Accedit, quod hanc conjecturam probabiliorem reddat, *Plinium* non facere mentionem populorum, quos inter Amisiam & Rhenum incoluisse ferunt *Tacitus* aliique, quique adeo etjam sub In-

---

postea edoctus in additamentis Historiae suae annexis haec verba expungi jubet. (i) A. 1771, p. 11, 14, 181-192 & A. 1772 p. 9 11. (k) Heims Kr. ex edit. Gerharδο Schöning 311. (l) L. c. p. 489.

(a) Cfr. CLUVERIUS l. c. C. 8. (b) GROTIUS, qui ceteroqui Sevonem in Scandinavia inter Sveciam & Norvegiam locat, etjam in Proleg. Hist. Gothor. Vand. & Longob. p. 7. existimat hunc montem a septem prominentibus fastigiis nomen indeptum esse; quod tamen in jugum Norvegicum non convenit.

gævonum genere contineri potuerunt. Nec exemplum locorum a vocabulo *Seve* nuncupatorum in his regionibus desiderabunt, qui hujus generis argumentis ducuntur (c). Ejusmodi montem non dari, & continuum dari vix potuisse, nihil ad rhombum facit. Quam paulo ante ut diversam a Scandinavia & a littore Scytharum, h. e. australi maris balthici ripa, tridui navigatione distantem prædicat *Plinius*, immensæ magnitudinis insula *Balthia*, *Pythææ Basilia* dicta, æque ac *Sevo* mons, se dudum oculis subduxit; nec, qui ibidem commemorantur, homines equinis pedibus natos, *Hippopodes* vocatos, & *Fanesios* (d), quorum nuda alioqui corpora prægrandes ipsorum aures tota contexerint, umquam in rerum natura exstitisse sibi quisquam hodie temere persuadebit. Perpetuum illud montium jugum quod *TACITO* (e) dicitur dirimere & scindere *Sveviam*, se nihilo amplius conspiciendum præbet; & *PTOLEMÆUS* (f) montes *Venedicos* in *Prussia*, in qua tamen colles vix videre est altiores (g), statuit. *Plinius* sc. propriis oculis septentrionem nostrum non vidit, sed quæ de eo tra-

B 2

dit

---

(c) Monasterium & fluvium hujus nominis in Ducatu *Luneburgensi* indigitasse sufficiat. (d) *RUDBECKIUS* l. c. p. 363. seq. hoc nomen interpretatur Dominos Deos, quod *Fan* lingua *Gothica* significet Dominum & *As* Deum, hincque p. 487 *Fanesios* esse putat Deos, Reges ipsosque *Magnates Sveciæ*; *SCHLOEZER* vero eos in *Malabariam* & *HARDUINUS* in *Californiam* ll. cc. amandant. (e) L. c. C. 43. (f) L. III. C. 5 & Tab. *Europæ VIII.* (g) Cfr. *PRÆTORII Orbis Goth.* L. I. p. 42.



dit ex aliorum relationibus, quæ confictæ esse poterunt, vel perperam ab eo intelligi, hausit; eumque, præfertim falsa narrantem, transferbere solet *Solinus*. Præterea nemo hodie novit, qualis olim facies fuerit oræ occidentalis Germaniæ, autè admodum verisimilem terræ motum, qui fyrtem Jutensem supra memoratam absorpsit; constat autem *Plinium* in describendo aquilone secutum fuisse auctores antiquiores, qui jam periere, ut *Pytheam Massiliensem*, *Hecatæum*, *Xenophontem Lampfacenum* & *Philemonem*, quorum duos saltem priores jam ante Cimbrorum emigrationem vixisse probabile est.

### §. VIII

Ceterum *Sevonem Montem* frustra in Scandinavia quæri, nova non est animadversio. Idem jam dudum vidit acutissimus *STJERNHJELM* (a) & modo *SCHÖNING* (b), neuter vero data opera demonstratum ivit. Hic in super, in monte *Zottenbergensi* Silesiæ *Sevonem* se invenisse existimans (c), in sententiam a dictis *Plinianis* haud ita multo minus alienam, quam a se rejectam, abiit.

---

(a) L. c. p. 121. (b) In Tract. om. de Gambles kundskab om vor Norden C. 3 §. 10. (c) L. c. §. 13.

